

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0054

Sabato 29.01.2005

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DELLA XIII GIORNATA MONDIALE DEL MALATO (YAOUNDÉ - CAMERUN, 9-11 FEBBRAIO 2005)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DELLA XIII GIORNATA MONDIALE DEL MALATO (YAOUNDÉ - CAMERUN, 9-11 FEBBRAIO 2005)

In data 23 dicembre 2004, il Papa ha nominato l'Em.mo Card. Javier Lozano Barragán, Presidente del Pontificio Consiglio per la Pastorale della Salute, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni della XIII Giornata Mondiale del Malato, che avranno luogo a Yaoundé (Camerun) nei giorni 9,10 e 11 febbraio 2005.

La Missione che accompagnerà l'Em.mo Card. Javier Lozano Barragán è composta da:

- Rev.do Sac. Théodore Toko, Segretario Generale Aggiunto della Conferenza Episcopale Nazionale del Camerun (CENC);
- Rev.do Sac. Paul-Marie Philémon Mbida, Responsabile della Pastorale della Salute per l'Arcidiocesi di Yaoundé.

Riportiamo di seguito la Lettera di Giovanni Paolo II al Suo Inviato Speciale:

Venerabili Fratri Nostro
XAVERIO S.R.E. Cardinali LOZANO BARRAGÁN
Pontificii Consilii pro Valetudinis Administris Praesidi

Duodecim Christi discipuli, ab eo bini missi cum potestate in spiritus immundos, oleo multos ungebant aegrotos et sanabant (cfr *Mc* 6,7-13). Nosmet Ipsi Successoris Petri pergrave munus exercentes, illa Sacrarum Scripturarum verba de Apostolorum navitate consideramus atque diligentem omnino operam dare conamur ad omnium aegrorum et patientium spiritale adiumentum. Multi sunt revera fideles quibus cotidiana in vita dolores variaequae difficultates obversantur atque, hanc ob rem, caelesti quadam egent confirmatione animique sui optata consolatione.

Cogitamus itaque iam nunc magna animi commotione Diem Mundialem XIII Aegrotantium, qui Yaundensi in urbe, in Sanctuario videlicet Sanctae Mariae Apostolorum Reginae, diebus IX-XI proximi mensis Februarii, sollempniter celebrabitur. Eiusdem Conventus pondus recolentes, aliquem adesse ibi volumus insignem

Praesulem qui personam Nostram aperte publiceque exhibeat, verum etiam peculiarem coniunctionem Nostram cum infirmis et laborantibus huius nostri orbis clare testificetur.

Tu ipse, Venerabilis Frater Noster, qui Pontificio Consilio pro Valetudinis Administris Nostra voluntate praesides, aptus omnino occurris qui huiusmodi generis mandatum diligenter frugifereque expleas. Te igitur, de cunctis adflictis eorumque spiritalibus necessitatibus Nos deliberantes, **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** hisce Litteris ad eam maximae pastoralis sollicitudinis conventionem mittimus. Pro Nobis vere participibus et praeclari Congressus disceptationes sequentibus Tu ipse, Venerabilis Frater Noster, aderis, nuntium peculiarem Nostrum repetes, ac cogitationem Nostram atque communicationem cum infirmis et aegrotis ubique confirmabis.

Interea procedentem Te ad munus tam grave et utile precibus Nostris comitamur de tua diligentia pastoralique studio gaudentes. Apostolica denique Benedictione Nostra, Tibi imprimis impertita, Sacros ibi adstantes Pastores et religiosarum familiarum sodales necnon Christifideles, praesertim dolentes, recreabis, unde uberrimos possint illius celebrationis percipere fructus novamque evangelizationem diligenter provehere.

Ex Aedibus Vaticanis, die XI mensis Ianuarii, anno MMV, Pontificatus Nostri septimo et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[00150-07.01] [Testo originale: Latino]
